



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Eloquentia magnifica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

*Doctrina eius  
rara.*

sciuit, quam sanctius vixit: nec docuit maiora, quæ fecit. Doctrina quæ, & quanta fuerit, ipsa hodieque docent monumenta. Fatebantur passim Hæretici olim, qui fieri non posse rati, ut error in tanta eruditione subesset, non latere eum aiebant, sed nolle promere veritatem. Declarabant tempestatibus eius doctissimi, ac maximi viri, Ioannes Gropperus, Ruardus Tapper, aliique Louanienfes Doctores: Cardinales Stanislaus Hofius, & Sirletus: Societatis Præpositi Generales: Nuntij, Legatique Pontificij: Pontifices ipsi, & Imperatores: demum Dynastæ, & Antistites eminentissimi, qui, si qua in re consilio opus esset, si quid iudicandum obscurius, si quid scribendum subtilius ad sapientiam illam reiiciebant.

*Eloquentia  
magnifica.*

Eloquentiam quoque scripta, quæ extant, loquuntur. Nec temerè inuenias seculo illo, quamuis eloquentissimo, qui de grauiissimis rebus tam apte, grauiusque, & quantum Maiestatem argumenti decebat, eleganter, copioseque scripserit. Fluit beata copia pleno quasi alueo: nihil in ea asperum, ac tortuosum, procul amœnitates ineptiarum, nec tamen est inamœna: sed vis adest, & cum dignitate robur: antiquitatis quandam fan-

ctura.

ctitatem spirat, lectoremque iucundissimè tenet;  
 & inquam fertur ipsa partem, secum volentem  
 rapit. Talis erat, & viua dictio de loco superiore;  
 eo quoq; rapax magis, & efficax, quod eam actio  
 decora, & modesta pronuntiatio animabant. In-  
 de populorum concursus: inde nomen ei Catho-  
 licus Prædicator: inde commutationes morum,  
 & vitæ, & sectarum euersio, & restitutio religio-  
 nis: quod vnum est Christianæ facundiæ mini-  
 me fallax documentum. Neq; enim multitudi-  
 nem inani aurium delectatione capere, & lingue  
 volubilitate tenere suspensam recte eloquētiam  
 dixeris, nisi adulterinam, cum quod Euangelici  
 Oratoris est nihil efficiat. Memoria Canisio erat  
 prompta, inexplebilis, apprime fidelis ac tenax.  
 Ingenium morosius, nequaquã cogitationibus  
 primis contentum. In lucubrationibus maioris  
 operæ tantum ponebat curæ, vt mirarentur noti,  
 quî fieret, vt valetudinem nõ prorsus pessum da-  
 ret. Quippe magnitudine iudicij videbat quid ef-  
 set optimum, & perfectionis vbiq; studio, ad id,  
 quod videbat, consequendum repetitis conati-  
 bus nitebatur. Nam si cui primo statim impetu  
 abso-

*Nota Vera elo-  
 quentia concio-  
 natoria.*

*Accuratio in  
 condendis le-  
 bris.*